

## CLXXI.

*Anno 1503. Festo die SS. Corporis Christi. Budae.*

Vladislaus Rex confirmat antiquam Regni Slavoniae legem, ut Vicecomites et Iudices e patriae filiis tantum eligi possint.

*Commissio propria Domini Regis.*

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Illustri Johanni Coruino, Lythovie Duci ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano moderno, futurisque Banis et Vicebanis eiusdem Regni nostri Sclauonie salutem et gratiam. Ex querelis et supplicacione fidelium nostrorum Vniuersorum et singulorum Nobilium et Regnicolarum eiusdem Regni nostri Sclauonie intelleximus: Quod, quamuis iuxta veterem et laudabilem consuetudinem eiusdem Regni nostri in singulis scilicet Comitatus eiusdem pro Vicecomitibus et Iudicibus non forenses vel extranei, sed semper tales Nobiles eligi fuerunt consueti, qui in illo Comitatu bene possessionati essent, quique post eiusmodi electionem Juramento se obligarent ad faciendam coram se litigantibus Justiciam, prout Regni illius consuetudo requireret. Tamen huiusmodi antiqua consuetudo ab antiquo introducta hac nostra tempestate in aliquibus Comitatus, precipue vero in Zagrabiensi et Varasdiensi per Banos et Vicebanos fuisset aliquantulum immutata. In quibus non Nobiles eorundem Comitatus, sed forenses et alienigene pro Vicecomitibus electi fuissent, qui sicuti Juramento ad faciendam Justiciam non fuerunt astricti, ita etiam sepius et frequenter a Justitia atque a vero et iusto iudicio declinantes, plerisque Nobilibus et Regnicolis litigantibus maximas iniurias et dampna fecissent et nonnullos etiam ex eisdem oppressissent. Quod cederet in iniuriam et dampnum prefatorum Regnicolarum nostrorum non modicum. Vnde supplicatum exstitit Maiestati nostre in personis eorundem, vt ipsos in premissa antiqua et per multa secula in eligendis Vicecomitibus introducta et inuiolabiliter obseruata consuetudine atque libertate deinceps quoque tenere et conseruare, tenerique et conseruari etiam facere digneremur. Nos igitur, qui Jura omnium subditorum nostrorum manutenere pro debito regiminis nostri officio debemus, considerantes premissam consuetudinem in eligendis Vicecomitibus laudabiliter prius fuisse introductam, et in hac etiam nostra tempestate per leges et statuta Regni nostri omnium Regnicolarum nostrorum assensu innouatam esse, volentes ipsos Regnicolas nostros, precipue vero in dictis duobus Comitatus Zagrabiensi scilicet et Varasdiensi existentes, qui, vt prefertur, in hac ipsa libertate et consuetudine fuerant impediti, in eiusmodi eorum antiquis libertatibus conseruare, volumus et mandamus fidelitatibus vestris